



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R.P. Thomæ Młodzianowski, Poloni, Societatis Jesu,
Prælectionum Theologicarum Tomus ...**

De Deo, Angelis Et Actibus Humanis

Młodzianowski, Tomasz

Moguntiae, 1682

Quæstio I. An distinguantur Attributa formaliter ex natura rei ab Essentia?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82949](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82949)

QUÆSTIO I.

An distinguantur Attributa formaliter ex natura rei ab Essentia.

Ahinc dicenda usque ad finem disputationis manca omnia erunt, sine notitia eorum, quæ fusè Tract. de Distinct. dicta sunt in Metaphysica. Ad præsentem quæstionem quod attinet, affirmant Scotistæ, negant Thomistæ: Quia verò aliqui admissa hac distinctione in Creatis, negant eandem in Divinis, liber hîc commemorare doctrinam mei in Theologia Magistri, Prioris Venceslai Daroroski viri omnium talentorum, in Provincia nostra qui eam & in Creatis, & in Divinis tenuit.

DIFFICULTAS I.

Proponitur modus defendendi distinctionem Scotificam in Divinis.

DOCEBAT 1. Prædictus Magister, quòd distinctionis Divinorum Attributorum detur fundamentum. Tum quia, si Attributa non aliud essent, quàm sola nomina, vel conceptus nostri, quos formamus de illis, verum esset dicere: Attributa Divina non sunt in Deo. Item, Intellectus noster facit Attributa: quod utrumque falsum est. Tum quia nemine cogitante verum est dicere: Deus misericordia miseretur, quod non esset verum nemine cogitante, si misericordia non datur nemine cogitante. Tum quia id docet S. Thomas in 1. d. 22. q. 1. a. 3. ad 4. Sed subnectent Thomistæ ratione nostra non fieri, sed distingui Attributa.

DOCEBAT 2. Inter Attributa quæ Divina sunt, siue comparentur inter se, siue cum Essentia, non dari distinctionem nemine cogitante, idque probabat rationibus, quas etiam tangunt Recupitus, Ruiz & Amicus. Dogmatis prima RATIO est ab Auct. & testimonio DD. Primum est D. Aug. in quæst. de Trinit. *Deus, inquit, quo est, vivit, & ex eo, quo vivit, intelligit, ex eo, quo intelligit, potest, & ex eo, quo potest, est: Quia simplex Veritatis natura unum habet esse, vivere, & omnia posse.* Ubi particula *Quo*, ut observat Amicus, importat rationem formalem, per quam res est, ergo ulterius nec vivit, nec potest, nec est, per rationem formalem aliam. Similia habet lib. 15. de Trin. c. 5. Secundum testimonium est S. Dion. de Div. Nom. c. 5. ubi inter alia dicit: *Naturam Divinam simplicitate omnem duplicitem excludere, ubi per hanc omnem duplicitem, videtur excludere omnem omnino distinctionem actualem; Arbitrarieque restringentur dicta verba, ad negandam nonnisi distinctionem realem.* Confirmatur ex Conc. Rhem. sub Eugen. 3. ubi definitur, quòd de Deo non solum possit dici, quòd sapiens sit, sed etiam, quòd sapientia sit. Jam verò nulla ratio formalis, actu

parte

atem actiones, non complent esse, sed supponunt compleri. Rursus, quia Divina, & immutabilia noscimus per visibilia & creata, fit, ut cum in creatis motus liberos non concipiamus per modum attributorum, sed per modum motuum, & tendentiarum in objectum, etiam debemus sic actiones Dei liberas concipere; Et sicut potentia perficiuntur suis actibus nonnisi extrinsecè, quæ extrinsecè perfectio ad præsens non facit: Itidem dicendum erit de Deo. Per hoc tamen non negatur ipsa principia actuum liberiorum, qualis est misericordia, & iustitia, verè esse Attributa.

INFERES 2. Personas in Divinis non esse perfectiones simpliciter simplices, aut quæcunque constitutiva earundem, itemque relationes &c. quia personæ sunt termini substantiales in creatis, in quibus non se habent per modum attributorum, sed supponuntur esse antequam intelligantur attributa, vel si hæc suppositio non concedatur, nunquam habebunt plus, quàm rationem termini; Ergo idem dicendum erit de personis Divinis: quidquid in oppositum dicat Ariaga.

INFERES 3. Existentiam non esse etiam nominandam perfectionem simpliciter simplicem attributalem: Ratio. Quia illud non potest habere rationem Attributi, quod pro illo priori, pro quo supponitur prior esse Essentia Attributis, jam supponitur esse: Nam pro illo priori, sunt nonnisi priora Attributis; Sed pro illo priori, pro quo supponitur Essentia Attributis prior, jam supponitur Existentia: Quomodo enim Essentia, quæ nondum intelligitur extra causas posita, poterit intelligi emanans Attributa?

PRÆMITTO 4. *Quanam sit Differentia ponenda in definitione Attributi?* Commodissime hæc ponetur, quòd emanet ex Essentia in actu posita: Per hanc enim differentiam distinguitur sufficienter ab omnibus, quæ non sunt Attributa. Unde jam definies Attributum, quòd sit Perfectio simpliciter simplex emanans, per modum proprietatis ab Essentia in actu posita.

PRÆMITTO 5. *Divisionem Attributorum, & quia omnis divisio incipit ab Esse, & non Esse, divisi possunt in positiva, & negativa.* Positiva sunt, quorum formalitas objectiva importat aliquid per modum Entis. Negativa è contra. Sed in negativis non est attendendum: An significantur termino positivo: Quia alias etiam tenetur essent quid positivum, utpote termino positivo significata; Sed debet attendi ad ipsam formalitatem objectivam. Ad quod etiam est attendendum in formalitatibus positivis: Quia hæc etiam possunt interdum negativo termino exprimi. Rursus dividuntur in Attributa Divina & Creatæ, transcendentia, & non transcendentia: Quæ jam suppono explicata in Philosophia &c. &c.

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tóm. I. c. 2.
D. VI

parte rei distincta ab aliquo, potest sic de illo vere prædicari, à quo distinguitur actu.

SECUNDA RATIO est ex illo principio ducta: *Omnia quaecunque in Deo sunt, & non dicunt oppositionem relativam sunt unum à parte rei.* Quo principio utitur S. Ansel. lib. de Incarn. Christi D. & Epistola de Process. Spiritus S. in quo fundamento ponitur hoc argumentum; Quod inter absoluta, qualia sunt Attributa in Deo, non solum est unitas, sed & summa unitas: quælibet enim perfectio in summo Ente, est summa; Non esset autem summa in Deo unitas, nisi esset exclusiva omnis pluralitatis actualis, adeoque etiam distinctionis actualis formalis.

TERTIA RATIO est. Quia essentia Divina debet esse illimitata non solum in omni genere perfectionis possibilis, verum etiam in modo eam continendi; Atqui non implicat eas contineri in Essentia Divina actu & formaliter, & hic modus continendi est perfectior, ergo. Hæc eadem ratio sic aliter proponitur. Essentia Dei debet esse in sua ratione formali, illimitata simpliciter: sicut enim de ratione Entis creati est limitatio, ita de ratione Entis increati illimitatio. Et certe si à Deo crearetur calor infinitus, licet in illo genere esset infinitus, nihilominus esset limitatum quid simpliciter: Ergo apparet, quod Essentia Divina debeat esse illimitata simpliciter. Sed nisi Attributa Divina containerentur à parte rei formaliter in Essentia Divina, Essentia Divina non esset in sua ratione formali illimitata simpliciter. Ergo. Minor probatur, quia omnia Attributa sunt de conceptu intrinseco illimitationis simpliciter. Ergo si Essentia Divina est illimitata in omni perfectione simpliciter, debet includere essentialiter, seu formaliter Attributa. Antecedens probatur: Quia si infinitas, seu illimitatio simpliciter includit in suo conceptu formaliter omnes perfectiones simpliciter, limitationem diceret, si vel unâ careret. Ergo. Quod autem docebat de Essentia includente Attributa, idem docebat de inclusione Attributorum adinvicem: Quia Sapientia Divina per omnes est illimitata in genere Sapientie, adeoque im-participata, sibi que formaliter Divinitatem identificant, consequenter & reliquas perfectiones.

DOCEBAT 3. Quamvis inter Essentiam, & Attributa quæ Divina sunt, Itemque Attributa inter se quæ Divina, nulla sit distinctio formalis ex natura rei; Esse tamen distinctionem inter illa, quatenus dicunt rationes analogice cum creaturis communes; Adeoque Sapientiam ex vi Sapientie ut sic, non esse Essentiam ut sic, nec Essentiam ex vi Essentie, esse Sapientiam ut sic.

RATIO 2. hujus dogmatis est. Ratio formalis Sapientie Divinæ secundum vim, seu naturam suam spectatæ, non est à parte rei nemine cogitante Essentia Divina &c. Ergo Sapi-

entia ex vi Sapientie est distincta nemine cogitante formaliter à parte rei ab Essentia Divina: Hoc enim intelligitur nomine distinctionis ex natura rei in præsentia. Antecedens probatur: Quia si ratio formalis Sapientie ex vi & natura Sapientie, esset Essentia Divina, ubicunque esset vis, & ratio formalis Sapientie, ibi esset Divina Essentia, quod dici non potest; cum reperiatur in Angelis & hominibus ratio Sapientie, sine Essentia Divina. Sequela autem illa probatur: Quia nihil potest sine ratione formali consistere, sed ratio formalis debet semper comitari id, quod constituit, seu cujus est ratio formalis.

SECUNDA RATIO est. Ex Auth. S. Thomæ, qui in Apolog. quam facit pro Petro de Tarrantia, delato ad Magistrum Ordinis, quod distinctionem entitativam admitteret inter Attributa, sic mentem illius explicat: *Bonitas, inquit, Divina, est Sapientia Divina, ex hoc, quod est Divina, non ex hoc, quod est bonitas, neque ex hoc, quod est Sapientia, est bonitas; Hoc autem pertinet ad rationem bonitatis, & Sapientia, scilicet, quod competit bonitati in quantum est bonitas, & Sapientia in quantum Sapientia.*

RESPONDEBIS 1. cum Recupito. Sapientiam secundum vim seu rationem formalem Sapientie spectatam non dari à parte rei, sed solum talem ab intellectu concipi.

CONTRA EST. Eodem Magistro arguente: Quia sicut naturæ rerum & Essentie; Ita nec rationes formales dependent ab intellectu nostro, sed independenter ab omni intellectu quælibet res habet, quod sit talis vel talis naturæ: Neque enim ex eo dicitur esse talis: Quia concipitur esse talis, sed potius ideò talis concipitur, quia de se est talis; Intellectus siquidem noster, qui extrinsecè objecta afficit, non habet potestatem ad earum rationes formales intrinsecas, vel constituendas, vel ita immutandas. Addebat, hanc responsionem imaginatione laborare, dum terminum à parte rei pro eodem sumit, quod est entitativè & realiter, cum tamen negationes, privationes & similia, dentur à parte rei, & nemine cogitante: Nec tamen sunt Entitates reales.

RESPONDEBIS 2. Quod illæ rationes distinguantur non nisi fundamentaliter, & virtualiter.

CONTRA EST. Tum quia homo à parte rei convenit cum bruto in animalitate, & secundum rationalitatem actu differt à bruto. Deus item per suam Sapientiam actu convenit cum Sapientia humana, & per Divinitatem actu differt; Jam autem convenire, quod est actu à parte rei, & differre, quod est itidem actu à parte rei, non possunt esse termini idem formaliter actu à parte rei; Alioqui idem & ratione ejusdem, & esset tale, & non esset tale. Tum quia, si animalitas, & rationalitas, item ratio commu-

is sapientie in Deo reperibilis, & Deitas, non esset actu à parte rei distincta, non possent adferre actualem differentiam, vel convenientiam. Tum, quia rationes objectivas diversis definiti-
onibus ad quatuor definitibiles, sicut non potest intellectus facere intrinsecè diversas; Ita nec po-
terit facere actu diversas, cum non possint esse actu diversæ, nisi sint intrinsecè diversæ: Quid-
quid enim est diversum per differentias essen-
tiales, vel per rationes intrinsecas definitibiles, est intrinsecè actu diversum, ut patet ex Arist. c. 1. de Subst. & 5. Metaph. c. 9.

Quia verò communiter urgeri solet, quòd ex hac distinctione sequatur compositio in Deo, ita huic difficultati occurrebat.

Distinctio ex natura rei nullam ponit in Deo multipliciter, ex qua sequatur aliqua compositio in Deo; Ergo ex distinctione con-
creta, nulla sequetur compositio in Deo, simplici-
tati ejusdem repugnans. Conf. clara est: Quia nulla compositio fieri potest ex Unitate, sed fieri debet ex pluralitate; proinde si nulla po-
natur dualitas, v. g. simplicitati Divinæ repu-
gnans, sequitur nihil poni, ex quo sequatur com-
positio. Ant. probatur; Quia ex concessis di-
stinctio asserta solum ponit in Deo multiplicita-
tem rationum, secundum vim suam definitibilem; Sed ex tali multipliciter nulla sequi potest cõ-
positio, quod ipsum probabat. Tum, quia quæ-
libet compositio fit ex multipliciter Entium, vel Entitatum, rerum vel realitatum, ut adver-
tens videbit. Tum, quia pluralitas rationum definitibilium si deberet facere compositionem in Deo, deberent prædictæ rationes inter se esse formaliter indistinctæ: Neque enim una ratio intelligibilis posset aliter componi cum altera, nisi ex duabus rationibus formaliter distinctis, foret una formaliter indistincta. Atqui hoc à parte rei in istis rationibus repugnat: Implicat enim ut aliqua ratio, quæ semel est diversa defini-
tione definitibilis ab alia, sit postea eadem defini-
tione definitibilis; Cum rerum Essentiæ nullo modo immutari possint. Addebat deinde; Li-
cet qualibet ratio intelligibilis, in Deo existens, sit realitè à parte rei ipse Deus, tamen non qualibet ratio intelligibilis in Deo, est à parte rei, ratio intelligibilis Deitatis; Siquidem Deus convenit à parte rei saltem analogicè cum crea-
turis in multis rationibus intelligibilibus: Non tamen convenit cum creaturis, in Divinitate. Neque valet, si dicas, quòd ratio definitibilis, vel intelligibilis ut est ab alia definitibili, vel intelli-
gibili distincta, est aliqua Entitas: Ergo multipli-
citas talium rationum importabit pluralitatem Entitatum, adeoque compositionem; Non in-
quam valet, si id dicas: Est enim prædicta con-
sequencia similis huic. Modus ut est distinctus modaliter, à re, cujus est modus, est realiter mo-
dus; Ergo modus ut est distinctus modaliter, à

re, cujus est modus, est distincta res realiter, à re, cujus est modus.

Hæc & plura attulerat dictus meus Magister in hac materia, sit

DIFFICULTAS II.

Examinantur Impugnationes hujus sententia.

PLURA argumenta, quæ contra hanc senten-
tiam adferri possent, soluta sunt alibi, præci-
puè ubi quæsitum est; An præcisiones objecti-
væ dentur actu nemine cogitante. Insuper ve-
niunt examinandæ aliæ rationes. Martinon hic d. 3. à n. 8. proponit sua argumenta.

I. ARGUMENTUM est ab Auct. Lateran. sub Inno. 3. c. 1. de summa Trinit.

RESPONDERI potest, quòd illo loco, decisio sit tota ordinata ad negandam distin-
ctionem realem: Quia est ordinata ad negan-
dam distinctionem, secundum quam possit Pa-
ter unam partem substantiæ communicare, non communicatâ alterâ; Hoc autem arguit distin-
ctionem realem. Et ex allatis dici posset, ne-
gari hanc distinctionem inter Essentiam, & At-
tributa quæ Divina sunt, non verò si sumantur se-
cundum rationes communes: Quamvis autem Lateran. neget esse in Deo quaternitatem, ne-
gat nonnisi quaternitatem, distinctorum reali-
ter, id quæ colligitur ex verbis ejusdem: Quia negat quaternitatem vi cujus Pater, Filius, & Spiritus S. non sint eadem res, hoc est eadem substantia, Essentia, sive natura Divina; Non ne-
gatur autem pluralitas rationum definitibilium Deo & Creaturis communium. Affirmatur-
que inibi Divina Essentia esse simplex omnino, scilicet quæ Divina est, non verò secundum ra-
tiones communes. Et licet omnis distinctio Entitatum repugnet omnimodæ simplicitati; Sed non repugnat omnimodæ simplicitati, mul-
tiplicitas rationum definitibilium.

INSTAT idem. Omnis distinctio quæ est verè & à parte rei, est realis simpliciter. At-
qui per oppositos distinctio Attributorum Divi-
norum, est verè & à parte rei: Est enim tota, quanta ante omnem operationem Intellectus.

RESPONDETUR. Hoc argum. ab Hurta-
do primùm propositum, à Recentioribus im-
pressis usurpatum solvi commodè possit, quòd distinctio ex natura rei sit distinctio realis, in quantum reale opponitur ficto, vel ei quod est per solam rationem, quomodo tenebræ sunt quid reale: Non enim est ficta, vel per solam ra-
tionem posita negatio lucis: Sed non est realis simpliciter; Hoc est inter membra, quæ sint res, aut plus quam formalitates, definitibiles, & conceptibiles objectivæ diversæ.

Hic idem medius terminus sic aliter propo-
nitur. Est contradictio in terminis, dicere il-
lam

R. P.
J. H. MŁOD
Zianowski
Tom. I. et II.
D. VI
S

lam distinctionem, quæ est actu à parte rei inter duo physicè existentia, non esse physicam: Nam ea quæ sunt physicè, & secundum id quod sunt, distincta sunt necessariò physicè: Quia esse physicum unius, non est esse physicum alterius.

Sed neque hoc argumentum urget: Imponit enim quòd esse physicum unius Attributi, non sit esse physicum alius Attributi: Cum dicatur, illas formalitates esse sibi identificatas realiter, ubi ulterius. Advertendum est. Distinctas esse has propositiones, quòd illa distinctio sit inter duo physicè existentia, & alia hæc, quòd sit inter physicè duo, physicè existentia. Hæc posterior involvit distinctionem realem à re, illa prior non involvit, sed solam distinctionem formalitatum, & definibilitatem in una re physica existentium.

Ad probandum, quòd distinctio Scotistica sit ipsissima realis, usurpat idem hunc medium terminum. Omnis distinctio, quæ est immediatè vi alicujus actionis physicæ, est physica, actio enim physica, non potest nisi ad aliquid physicum immediatè terminari: Atqui distinctio inter Essentiam, & Proprietates personales, Filii, & Spiritus S. est immediatè vi alicujus actionis physicæ; Nempe vi generationis, & spirationis activæ, cæteraque omnia Attributa Divina, si distinguuntur in re ab Essentia, debent ab ipsa produci per aliquam realem & physicam actionem: Ergo, si inter illa est distinctio à parte rei, erit illa physica, utpote existens immediatè vi alicujus actionis physicæ.

Sed hic medius terminus in principiis Scotistarum non urget: Quia illi actionem physicam non distinguunt nisi formaliter ex natura rei à causa, & effectu. Negabunt item produci illa Attributa, vel Divina, vel creata, physicè, prout ly physicè importat aliquid reale à re. Nec concludit hoc argumentum in principiis aliorum: Multi enim docent motum esse actionem physicam; Et tamen ubi, quod est terminus, non esse physicè distinctum; Conservatio in aliquorum Sententia est modus; Respondens tamen illi duratio, est mera formalitas. Denique dici posset, quòd id quod est immediatè vi alicujus actionis physicæ, respectu illius actionis debeat etiam, vel possit distingui physicè; Sed non est necesse, ut omnia contenta in illo termino, sint distincta physicè inter se; Ita v. g. in sententia modalium distinguitur anima ab actione creativa. Inde tamen non sequitur, eandem non posse sibi identificare intellectum; sic nec erit necesse physicè distingui proprietates notionales vel absolutas à persona; Quamvis persona sit terminus physicus, actionis generativæ.

2. ARGUMENTUM ejusdem est ex Aug. Rhem. ubi definitur contra Gilbertum; Non esse dividendum inter Deum, & Deitatem, inter personam, & naturam; & tamen si ponatur hæc distinctio, sequetur illa divisio.

RESPOND. S. Thom. 1. p. q. 28. a. 2. Quod scilicet Gilbertus distinctionem realem voluerit in Deum invehere, unde concludens S. Thom. in Corpore, & sic manifestum est, inquit, quòd relatio realiter existens in Deo, est idem Essentia, secundum rem, & non differt nisi secundum intelligentia rationem: Quæ intelligentiæ ratio non potest commodè accipi pro actu Intellectus. Sed dicent illi, quòd sit accipienda pro formalitate objectiva. Eodemque modo explicanda sunt reliqua quæ adducuntur ab eodem ex SS. PP.

3. ARGUMENTUM ejusdem est. Quia si Attributa distinguerentur inter se, vel essent sine ordine originis, vel alia ab aliis? Si primum; Quænam illorum esset conjunctio? Quomodo per se, aut unde convenient Essentiæ? quomodo non erunt multa Entia à se? Si autem dicatur secundum, ergo contra Catholicam doctrinam admittetur in Deo, realis origination multiplex præter origines personarum.

RESPONDETUR retorquendo arg. & quærendo: An risibilitas sit sine ordine originis ad rationale vel non? Si primum, unde convenient Essentiæ? Si secundum; Ergo distinguetur realiter, ergo præter ordinem generationis, vel productionis à Deo & generantur, dabitur adhuc alia origination. Directè autem dici potest, esse illic ordinem ex natura rei, licet non sit ordo physicus realis; Omnia autem illa Attributa erunt in re à se, sed non formaliter ex natura rei: Quia definitio a se itatis, non est ut sic definitio v. g. Sapientia.

4. ARGUMENTUM ejusdem est. Si daretur in Deo prædicta distinctio, sequeretur potentiam, quæ Deus potest producere leonem, à potentia, quæ potest producere hominem, distinguere ex natura rei, & sic de reliquis. Seq. prob. Ideò animalitas, & rationalitas distinguuntur ex natura rei: Quia non ubicunque est animalitas, illic est rationalitas; Sed etiam non ubicunque est potentia leonis, est productiva potentia hominis: Est enim in leone productiva leonis, non hominis. Ergo. Non potest autem dici, has potentias in Deo esse distinctas ex natura rei: Quia daretur in illo actu infinitum infinitarum potentialiarum, pro diversitate terminorum infinitorum. Ad creata autem sic idem applicari potest. Petrus habet potentiam ad producendum Paulum, & alia individua, se excepto; Joannes autem habet potentiam ad producendum & Petrum, & Paulum, se excepto &c. Ergo in Petro v. g. potentia producendi Paulum distincta est ex natura rei à potentia, quam habet Joannes producendi eundem Paulum: Quia non æquabilem habent conjunctionem: Nam Joannes ita potest producere Paulum, ut non possit se, Petrus autem potest producere & Paulum, & Joannem &c. quis autem diceret illas potentias esse ex natura rei distinctas, quin hoc ipso concedere deberet, infinitum actu?

RESPON-

RESPONDETUR. Non paucos Auctores concedere infinitum formalitatum in relatione divinitatis; Quamvis de cetero realitatem infinitum, negent. Sed manumissa hac sententia, dici potest, esse illas infinitas, actu distinctas ex natura rei, sed non actu infinitas: quia proportionantur suis terminis, quos poterunt producere, & secundum illorum infinitatem infinitantur; & tamen illi termini non sunt actu, sed syncategorematicè infiniti. Et sicut in sententia communiori dicitur, partes in continuo esse actu, quoad Entitatem; non tamen actu distinctas; ita posset dici, illas potentias esse actu distinctas, sed non infinitas actu.

5. ARGUMENTUM ex variis rationibus, quas excogitavit Perez. RATIO I. est. Ponamus, quod fiat Sapiencia ab Essentia, & distinguatur ex natura rei, hoc ipso Essentia Divina non distingueretur ex natura rei à sua Sapiencia: Si enim distinguitur ex natura rei, & fluit ex illa Sapiencia; Ergo Essentia Divina, quæ est absolute prima Essentia, dedit totam perfectionem suæ Sapiencie, & à tota illa fluit. Sed principium adæquatum non dat perfectionem, quam non præhabet, loquendo de perfectione simpliciter simplici. Ergo Essentia Divina includit in se totam perfectionem Sapiencie Divinæ.

RESPONDETUR. Hoc Argum. probare multum. Accipiamus emanationem physicam caloris ab igne, qui est principium adæquatum caloris, & non dat perfectionem, quam non præhabet; nunquidne jam simpliciter identificabo sibi ignis calorem? & sic de aliis emanationibus. Quod si dicas emanationem illam in aliis tribuigeneranti. Hoc non: Quia quamvis tribuatur generanti; de facto tamen perficitur per influxum immediatum solius illius Substantie.

Neque dicas, Propositionem assumptam procedere de emanatione perfectionis simpliciter simplicis: Unde enim hoc scitur; immo intelligere, velle, pro potentia sumpta, in sententia identificante potentias animæ, emanant ab anima, quæ in ante non præsupponitur esse formaliter intellectus. Directè responderi potest, quod principium adæquatum, licet non possit dare perfectionem, quam non habet radicaliter, & in vi emanandi; potest tamen dare, quam non habet formaliter, sive illa emanatio sit ordinis physici, sive metaphysici.

1. RATIO ejusdem est. Non est sapiencia formaliter, quæ non est primò, & per se exclusiva defectus insipientiæ; & est formaliter sapiencia illa ratio, quæ est ita exclusiva. Sed nulla formalitas supponens Essentiam Divinam, tantquam distinctam ex natura rei, potest esse ratio primò, & per se exclusiva insipientiæ: supponit enim Essentiam, quæ ipsa est exclusiva omnis defectus, atque adeo insipientiæ, ergo Essentia Divina est formaliter Sapiencia.

RESPOND. Esse exclusivum insipientiæ, primò sub formalitate præcisa sapientiæ formalis, seu quâ forma est, convenit soli Attributo emanato; primò autem esse exclusivum insipientiæ, sub formalitate radice, convenit ipsi Essentiæ Divinæ; ad eum planè modum, quo formaliter primò opponitur frigori calor, radicaliter autem primò, ipse ignis.

Urget etiam argumentum, quod illa distinctio foret realis. Sed hæc ratio supra est soluta, & quidem accommodatè ad principia ipsius Perez: nam etiam ille d. 5. n. 27. dicit, quod quando prædicatur de peccato, quod sit à parte rei, affirmat ipse sensum hunc esse, quod peccato non ficta insit malitia, sed non esse hunc sensum, quasi malitia ipsius, sit reale quid.

3. RATIO ejusdem; Formalitates Divinæ relativæ non distinguuntur ex natura rei, Ergo neque Attributa. Ant. Prob. Formalitas relativa Patris, tantam habet identitatem, simpliciter loquendo, cum Essentia Divina, quantum habet ipsa Essentia secum, quod ipsum prob. Tam est perfecta paternitas per Deitatem sibi communicatam, quam est perfecta ipsa Essentia: est enim à parte rei ipsemet Deus; esse autem Deum, est esse infinite perfectum; Ergo cum Essentia non sit magis, quam infinite perfecta, etiam paternitas talis erit. Quod si habet eandem perfectionem, etiam habebit tantam unitatem cum Essentia: quantum illa secum: nam impossibile est, per aliquam perfectionem communicatam, aliquid esse tam perfectum, quam est perfectum ipsum communicatum; nisi habeat perfectissime sibi conjunctum ipsum communicatum: Si enim non esset illi æque perfecte conjunctum, jam eo ipso careret aliqua ratione, illa perfectione.

RESPONDETUR. Hoc argum. imprimis multum probare; probat enim tam perfecte esse identificatam albedinem parieti, quam illamet ipsa sibi, idque ideo: Quia tam perfecte albedo disgregat visum, quam paries albus: Si autem habet eandem perfectionem disgregandi visum, hoc ipso eandem habet Unitatem: Si enim non haberet eandem Unitatem, hoc ipso non tam perfecte disgregaret. Deinde argumentum idem probaret, quod natura & paternitas ne virtualiter quidem distinguantur: Quia natura à se ipsa non distinguitur, ergo & paternitas. Directè autem ad argum. dici posset, paternitatem habere identitatem simpliciter cum natura, hoc est realiter: Sed non habere identitatem simpliciter ex natura rei, quasi verò ex natura rei prædicatum, quod dicit natura ex natura rei, dicat etiam paternitas. Stando etiam in phrasi supra allatæ doctrinæ, dici posset, paternitatem secundum quod Divina est, æque esse perfectam, ac Deitas; Sed non paternitatem ex natura rei spectatam.

D

4. RATIO

R. p.
J. H. MŁOD
ZIANOWSKI
T. B. M. K. Z.
D. VI

4. RATIO ejusdem est. Quâ probat Intellectionem non distingui ex natura rei ab Essentia. Principium primum, & radix prima omnium, formaliter includit sapientiam & Intellectionem. Ergo sapientia non potest esse ex natura rei distincta ab Essentia Divina. Consequenter est perspicua: Quia natura Divina est prima omnium radix. Ant. prob. Si prima omnium radix non includeret formaliter sapientiam, totus ordo attributorum à prima sua radice, cæca quadam ratione proflueret; Hoc autem est impossibile: Si enim ordo Creaturarum, & ordinem, & sapientiam in prima sui origine ostendit, multo magis id habebit ordo Attributorum Divinorum.

RESPONDETUR. Hoc argum. non procedere secundum principia proponentis: Non enim negat ipse aliquem esse illic ordinem, qui non sit fictus; Hunc autem ordinem Scotista appellant ordinem ex natura rei. Et secundum allata principia dici posset: Nullum esse ordinem inter Attributa secundum quod Divina sunt; Esse tamen si spectentur Attributa ex ratione sua communi, secundum quam intelligere, præcedit velle. Neque jam inde sequetur, cæco modo unum Attributum fluere ex alio: Nam hic effluxus ne sit cæcus, non debet esse physicus, sed ex natura rei, quem nos appellare solemus, secundum subsistendi consequentiam.

DIFFICULTAS III.

Impugnatur Distinctio Scotistica.

Aliquot argumentis est impugnata hæc sententia in Philosophia tam in materia Distinctionum, quam in materia de Unitate universalis; Ubi inter alia urgebatur, hanc sententiam concedere aliquid uni formalitati, quod ne in sensu quidem reali convenit alteri: Nam v. g. ex natura rei convenit naturæ esse aptam existere in multis, quod nec in sensu quidem reali convenit hæc ætati: Hoc autem dici non potest: Tum, quia inductio in aliis materiis oppositum ostendit, nam rationalitas ex natura rei discuitur in homine, quod, in sensu reali, etiam animalitati convenit. Tum, quia si dicatur ex quocunque prætextu unum prædicatum physicum, & reale convenire intrinsecè uni formalitati, & non convenire intrinsecè alteri identificatæ, hoc ipso invehitur mysterium Trinitatis in creatura, quod non nisi in hoc stat: Quia uni formalitati intrinsecè convenit non communicari, vel non produci, & alteri identificatæ convenit intrinsecè communicari, & produci. Hæc nunc manumittimus. Sed insuper

1. ARGUMENTUM sit ab Auctoritate, quia sententiæ à gravibus Auctoribus diversarum scholarum & ætatum & post suam plenam eno-

dationem censuræ, teneri non debent; Talis est distinctio prædicta: Nam Adamus Nominal. in 1. d. 6. q. 1. conc. 3. ait clamare SS. contra Scotistas. Marilius dicit, SS. Doctores communiter esse contra Scotistas. Dionys. Carthus. vocat hanc opinionem novitatem oppositam tam summis Philosophis, quam supremis Theologis, esseque contrariam documentis Theologicis, & Philosophicis, quibus adde Greg. in 1. d. 33. q. 1. a. 2. Ex Thomistis Zumel dicit, negare distinctionem Scotisticam, esse consonum Fidei. Molina appellat illam parum, tutam in Fide. Valentia parum Fidei consonam. Arubal non esse in Fide securam. Ruiz temerariam hoc tempore. Granado hoc ævo rejiciendam. Amicus suspectam. Hoc tamen sit non ad censuram scholarum subtilissimam sed ad eruditionem allatam, diceretque Schola subtilissima, hanc ipsam censuram mereri censuram.

CONFIRMATUR. Quia quamvis Decisiones factæ contra Gilbertum, possint explicari aliquæ, quod damnent distinctionem realem; Tamen urgeri potest, quod videantur damnasæ etiam Scotisticam, idque ex eo loco: Quia inter propositiones Gilberti damnatas erat hæc, quod inter naturam, & personam non Mathematica abstractione, sed Theologica ratione quoquo modo divideret ratio. Vide Tom. 3. Conciliorum, Rhemenfis Concilii p. 2. f. 59. col. 1. lit. C. unde distinctio à Gilberto asserta non erat rationis sola: Hæc enim est formalissimè eadem cum Mathematica abstractione, eò, quod procedat secundum intentiones, & imaginationes nostras. Neque etiam erat illa distinctio realis: quia in reali non quoquo modo dividit ratio, sed absolute; & quia realis distinctio non Theologica ratione, sed physice distinguit. Ergo debet esse illa distinctio actualis ex natura rei. Rursus Albertus 1. p. q. 39. n. 2. a. 1. ita refert sententiam Gilberti: Proprietas nec Essentia est, nec persona, nec est proprietas, sed ratio ex comparatione rei ad rem sumpta. Qui termini coincidunt cum illis, quod hæc distinctio non sit realis à re, sed quod sit realiter.

2. ARGUM. sit. Quod hic iteratò (relativè aliis) proponi potest. Essentia à sapientia, & esset nemine cogitante distincta actu ex natura rei, & non esset: esset quidem ut supponitur, non esset autem: Quia Objectum quod fit vi abstractionis non est nemine cogitante, sicut & ipsa abstractio non est nemine cogitante; sed Essentia & sapientia distincta in Deo actu ex natura rei, sunt Objectum, quod fit vi abstractionis. Quod ipsum probatur, quia illa Essentia sic distincta, est Essentia secundum se spectata; Essentia autem secundum se spectata est Essentia, quæ est Objectum, quod fit vi abstractionis. Quod ipsum probatur, quia illi met ipsi pro exemplo termini abstracti metaphysici ponunt in Dialectica

hæc animal vel animalitatem ut sic, peteque exemplum aliud termini prædicti, si non est hoc. Tum, quia quodnam aliud Objectum respon- dere illi abstractioni? Tum, quia ab Essentia se- cundum se spectata, vel potest adhuc præscinde- re intellectus sapientiam, vel non potest: Si po- test, ergo adhuc illud Objectum, quod est Essen- tia secundum se spectata, prout secundum se spectata, dicit adhuc sapientiam: Ergo secun- dum se spectata non distinguitur à sapientia; Sed eam involvit, contra quam assumebas. Quod non potest à natura secundum se spectata præ- scindi à sapientia. Ergo sic spectata est Objectum, quod fit vi abstractionis: Quia etiam Objectum illud, quod fit vi abstractionis est tale, ut non pos- sit ab illo abstrahi differentia, utpote quæ jam supponuntur abstractæ. Ergo ulterius tollis o- mnes præcisiones objectivas: debent enim pul- lulare beneficio actus intellectus præcipientis; Tu autem præcisionem ante omne opus Intelle- ctus admittis. Plures huic argumento respon- siones allatas refutari invenies in materia de Distinctione hac. Recentius.

RESPONDET 1. Quidam, quoad usum sui non datur natura animalis ut sic nemine cogitante: Quia in suo usu & exercitio involvit ac- tum rationis, non tamen involvit actum ratio- nis in suo Esse.

CONTRA est, tum quia redit argum. fa- ctum. Objectum quod fit vi abstractionis non tantum in solo usu, sed & in suo Esse, involvit ac- tum rationis; Talis autem est natura, prædicto modo sumpta, ut probatum est. Tum, quia unde de hoc quod non nisi in suo usu & exercitio hoc Objectum involvat actum rationis? Tum, quia Universale Logicum & in suo usu, & in suo Esse pendet à ratione, ergo idem in præsentia di- cendum.

RESPONDET 2. Alius, Præcisionem esse duplicem, Intrinsecam, & Extrinsecam; Intrin- seca in hoc consistit, quod prædictum essentiale unum, non includatur in Essentia alterius, & hæc præcisio est nemine cogitante: extrinseca autem est, quæ provenit ab intellectu cognoscente u- num sine alio, & hæc non est nemine cogitante.

CONTRA est, tum quia non datur ullum cognitum intrinsecum, & aliud cognitum extrin- secum; Ergo nec dabitur duplex abstractum: cuius enim termini genus non datur nemine co- gitante, illius termini etià species non datur ne- mine cogitante; Cum ergo notitia sit genus ad abstractiones: Dividitur enim notitia in Intuiti- vam, & Abstractivam: Sicut ipsa notitia intrinse- ca nemine cogitante non datur; Sic nec dabitur nemine cogitante abstractio intrinseca. Tum, quia redit argumentum factum, objectum quod fit vi abstractionis, non est nemine cogitante; Sed abstractum illud intrinsecum, est objectum, quod fit vi abstractionis. Quod ipsum proba- tum est, rationesque hæc expectant ulteriorem

solutionem. Tum, quia hic expositivus, hæc natura secundum se spectata, est nemine cogi- tante; Hæc natura secundum se spectata non est nemine cogitante. Ergo quod non est ne- mine cogitante, est nemine cogitante, est simi- lis huic. Hoc animal est leo; Hoc animal non est leo. Ergo quod non est leo, est leo, casu quo daretur Leo-cervus. Qui modus arguendi servatur, quando infertur contradictoria nega- ta, & sicut in hoc secundo expositivo non po- test recurri, quod diverso respectu Leo- Cer- vus sit leo, diverso respectu cervus, cum hæc in eandem Entitatem incidant; Ita nec potest dici, quod diverso respectu, illa natura sit ne- mine cogitante, & non sit nemine cogitante; cum id in eandem Entitatem incidat: Deni- que si dabitur abstractum intrinsecum nemine cogitante, qui jam salvabitur dari præcisiones objectivas?

3. ARGUMENTUM fit contra prædictam explicationem immediatius pugnant; & quidem incipiendo ab ultimo, ubi negat sequi, quod de- tur in Deo compositio. Pluralitas Entium in- tra idem totale Ens, arguit compositionem Enti- tativam; Ergo etiam pluralitas formalitatum in- tra eandem physicā Entitatem, arguet compo- sitionem formalitatum ex natura rei; Non enim est major ratio de uno, quam de alio. Quod au- tem assumit, ad hanc compositionem esse ne- cessarium, ut rationes communes inter se sint formaliter indistinctæ, id non convincit; Nam compositio ex Entitatibus non importat indi- stinctionem in Entitatibus, immo si illam im- portaret, hoc ipso destrueretur ratio compo- sitionis, cum illa pluritatem extremorum petat; Ergo idem in præsentia dicendum: Quod autem inimaginabile sit, quomodo illæ rationes uni- rentur, id proficiscitur ex eo: Quia rationes illæ communes, non dantur nemine cogitante.

Sed quidquid sit de his responsionibus; Ex hoc ipso sic infertur compositio; Si daretur com- positio in illis formalitatibus, officeret simplici- tati Divinæ, unde hæc compositio negatur, ne officiat simplicitati Divinæ; Ergo quia non datur compositio ex illis formalitatibus, offi- cit simplicitati Divinæ, ergo illæ formalita- tes non dantur, ne officiant simplicitati Divi- næ. Illatum primum probatur: Quia si dare- tur compositio ex formalitatibus, invehetur in Deum pluralitas repugnans ejus omnimo- dæ simplicitati; Sed si non datur compositio ex formalitatibus, & tamen illæ ponuntur in Deo, invehetur in Deum pluralitas, repu- gnans omnimodæ ejus simplicitati. Quod ip- sum probatur, quia major pluralitas magis offi- cit omnimodæ simplicitati; & sicut major es- set in homine pluralitas, si in illo essent mate- ria & forma sicut acervus lapidum; Ita major pluralitas erit & repugnantia simplicitati Di- vinæ, si illæ formalitates nullo modo essent

D 2 . inter

R. P.
THE MŁOD
ZIANOWSKI
Tbm. de Z.
D. VI

inter se unita. Unde si robur huius argumenti spectetur, formabitur hæc contradictoria, quod ex illis formalitatibus & fieret, & non fieret compositio; Non fieret, ne repugnet simplicitati, & fieret compositio, ne itidem repugnet simplicitati Divinæ.

Rursus CONTRA prædictam explicationem hoc etiam facit: Quia dogma tertium destruit secundum; Attributa enim illa quæ Divina sunt, vel servant suam definibilitatem diversam, vel non? Si servant, ergo etiam ut Divina sunt, sunt distincta formaliter; Si autem non servant, Ergo Essentiæ rerum mutari possunt, & ex habente hanc Essentiam, potest transire Attributum, in non habens hanc Essentiam.

Quod si DICAS, quod tunc acquirat Attributum duplicem formalitatem.

CONTRA erit, quia non potest acquirere formalitatem essentialiter aliam ab illa, quam habet: Hoc enim implicantiā involvit, & sicut definibilitas rationalis, non potest unquam affici ininabilitate; Ita nec definibilitas sapientiæ, definibilitate Deitatis. Neque valet, si dicas, quod ly Divinum hic sumatur adiectivè non substantialiter: Nam quomodo salvare poteris, adiectivè dictam Deitatem de sapientia, facere, ut illa quæ Divina est, non sit distincta formaliter à Iustitia?

CONTRA eandem explicationem hoc etiam facit: Quia prædictæ Auctoritates, quas adfert pro dogmate secundo possunt bene explicari, quod negent solam alietatem realem inter attributa. Illa etiam adversio Amici non multum urget: Quia quamvis ly, quod importet rationem propter quam; Tamen hæc ipsa ratio propter quam non est, necesse, ut sit indistincta etiam formaliter: Potest enim hunc sensum facere; Deus ex eo quo potest, realiter est: Dicitur item, quod Divina simplicitas omnem dupliciter realem excludat, & quod sicut non excludit dupliciter rationum communium; Ita nec excludit dupliciter in ipsis Attributis, quæ Divina sunt. Quod vero assumit, casu, quo v.g. sapientia Divina esset distincta formaliter, quod non posset prædicari de Deo in abstracto, id non convincit: Nam nascitas à nâo non distinguitur ex natura rei; & tamen de illo non prædicatur in abstracto; Ergo illud posse prædicari sapientiam Dei in abstracto de eodem, proficiscitur aliunde, quam ab indistinctione formalitatis; Supraque explicatum est, unde hic modus prædicandi in Deo salvetur. Et quamvis Deo concedatur summa unitas realis; Non tamen est necesse concedere summam Unitatem formalitatem, quamquam summitatem in Unitate explicare difficillimum est, & assumere, quia in indivisibili non datur summum. Et sicut Essentia Divina illimitata in sua ratione formalitatis non excludit, quo minus sapientia ex vi rationum communium distinguatur ex natura rei;

Ita nec excludit multipliciter formalitatem etiam quæ Divinarum. Ex quibus omnibus conficietur hoc argumentum; Non distinguuntur Attributa quæ Divina inter se ex natura rei. Ergo neque ex vi Essentiæ spectata distinguuntur.

Solvuntur Argumenta supra allata.

PROposita sunt supra argumenta quibus probatum est, quod sapientia ex vi rationum communium ex natura rei, & secundum se spectata, non sit v.g. Iustitia secundum se, & ex natura rei spectata. Huic argumento adferenda est solutio. In primis dicendo, quod hoc argumentum procedat de subiecto non supponente, & contineat terminos tollentes se ipsos, nimirum nemine cogitante, & tamen ut sic ex vi Essentiæ, secundum se spectata: Nam prior terminus importat suppositionem personalem, posterior simplicem, prior importat Objectum, quod non sit vi abstractionis, posterior importat Objectum, prout sit vi abstractionis. Rursus distingui potest eadem maior distinctionibus, quas usurpavimus in materia de Distinctionibus, quod scilicet ratio formalis sapientiæ secundum id, quod dicit in recto, pro subiecto, & prout est à parte rei, independentem à nostris conceptibus sit nemine cogitante Iustitia; Licet in obliquo, prout subest nostris intentionibus non sit Iustitia. Explicatio huius distinctionis petatur ex loco citato.

Addendum hic est, quod ubicunque est sapientia secundum se spectata, illic dicat distinctionem à Iustitia secundum se spectata. Sed hoc sic spectari, nego esse nemine cogitante; Sapientia etiam secundum id, quod dicit in recto spectata, ubicunque est, illic etiam est v.g. & Deitas; Quia in recto illa sapientia est Deitas, prout est principium actuum sapientiæ consimilium creatis. Unde ulterius addes; Quod id quod convenit v.g. Essentiæ animalis prout illa subest nostris conceptibus rationes communes fabricantibus, id illi in omni statu convenit, prout etiam subest in illis statibus, nostris conceptibus; Sed quod convenit v.g. Essentiæ animalis, prout illa subest nostris conceptibus, non erit necesse, ut conveniat in omni statu, prout ille non subest nostris conceptibus; & è converso, quod convenit Essentiæ independentem à nostris conceptibus, non est necesse, ut conveniat eidem, prout illa subest nostris conceptibus. Unde v.g. Animalitas ex vi Essentiæ prout illa subest nostris conceptibus distinguitur à rationalitate etiam in statu physico, prout ille subest nostris conceptibus; Hoc autem indistigui quod competit animali ex vi Essentiæ spectatæ, non prout subest nostris conceptibus, non est necesse ut conveniat eidem metaphysicè spectatæ, sed secundum hanc considerationem bene distinguitur.

Quæ

Quæ opposita sunt ad doctrinam Recupiti, cognitionem hanc habent. Naturæ rerum & Essentiæ physice spectatæ non dependent à nostro intellectu, naturæ autem & Essentiæ rerum metaphysice spectatæ & abstractæ non dependent à nostro intellectu, subdistinguo; Non dependent quo ad statum, communitatem, deputacionem à differentiis, & ut ita dicam, quoad educationem ab imbibitione cum aliis formalitatibus; Nego: Non dependent quoad esse fundamentale illarum præcisionum, seu connexionem prædicatorum; Concedo. Quando autem dicitur, responsionem hanc imaginatione laborare, quod ly à parte rei sumat pro eo, quod est entitativè & realiter, id non convincit, neque enim ex suppositione hujus distinctionis, prædicta argumenta solvuntur, sed hoc inculcatum volumus, quod dicta sententia: Ly ex vi Essentiæ esset, & tamen nemine cogitante, item ly objectum, quod sit ex vi abstractionis cum eo, quod non est ex vi abstractionis, confundat.

ADDO. Si quis non ex eo deduceret distinctionem Scotisticam, quia datur v. g. conceptus Essentiæ, ex vi suæ Essentiæ, nemine cogitante, actu distinctus, ab altera v. g. Essentiæ vel prædicato relativo. Si quis item non diceret, nemine cogitante distincta esse Deum & Deitatem &c. admitteretque eam distinctionem non in creatis, non inter prædicata absoluta in divinis inter se comparata, sed inter prædicata absoluta & relativa tuereturque illam, ita ut nos solemus defendere distinctionem virtuales, tantum in super ostendendo, ex natura rei, actuale, non virtuale verificativum harum v. g. propositionum. Natura communicatur, Paternitas non communicatur, agere convinceretur, de quo infra, ubi de Diverfitate Sententiæ nostræ, à Scotistica.

QUÆSTIO II.

An Attribute distinguantur virtualiter in DEO?

AGITAM multis hac tempestate quæstionem, & à nobis in Tractatu de Distinctionibus discussam, iteratò hic stabiliemus.

Dixi in Logica, Distinctionem virtuales non esse Distinctionem aliquam potentialem, nec rectè explicari aut per convenientiam prædicatorum contrariorum, aut per virtutem productivam diversorum effectuum; Sed potiùs explicari debere, per æquivalentiam unius ejusdemque indivisæ Entitatis, ad aliqua plura seorsum reperiabilia.

Dixi rursus in processu, duplicem cogitari posse Distinctionem virtuales, quandam in ordine ad prædicata primo intentionalia, & physica, qualia sunt produci, non produci, communicari, non communicari; Aliam autem distinctionem virtuales cogitari posse in ordine ad prædicata secundo intentionalia, ut cognosci, non

cognosci, præscindi, non præscindi. Utraque hæc Distinctio reperitur in Deo. Stat autem distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica in hoc, ut sint aliqua idem realiter; & tamen unum prædicatum physicum conveniat uni, quod ne in sensu quidem reali & materiali comperit alteri; v. g. nemine cogitante realiter producit filiationem, & non producit realiter naturam, illi identificata. Distinctio autem virtualis in ordine ad prædicata secundo intentionalia stat, in posse unum nosci, non noscendo aliud, illi identificatum realiter.

Dixi utramque hanc distinctionem reperiri in Deo, sed non in omnibus prædicatis. Nam non puto distinctionem virtuales quoad prædicata physica reperiri inter Attribute absoluta, comparata inter se, & Essentiam; Quis enim putet quod realiter misericordia non sit principium puniendi? & quis articulus fidei, ad hoc tenendum urget? Indubitatè ergo reperitur (propter inferius dicenda) inter naturam & personalitates, illisque annexa: Ratio est. Quia de fide est realiter communicari naturam, identificatam autem illi paternitatem non communicari realiter.

Quod autem attinet ad creata, Distinctio virtualis in ordine ad prædicata physica non datur in illis: Quia alias daretur in illis mysterium Trinitatis: Datur autem in ordine ad prædicata intentionalia: Quia datur æquivalentia unius ejusdemque Entitatis, ad plura seorsum reperiabilia; Hoc est v. g. ad Intellectivum Angeli, & ad vivens sensitivum, bruti.

DICES I. Si datur Distinctio virtualis in ordine ad prædicata intentionalia hoc ipso dabitur in ordine ad prædicata physica: Quia si potest cognosci animalitas non cognita rationalitate; Hoc ipso animalitas diceret aptitudinem physicam ad terminandam cognitionem illam, diceret respectum transcendentalem ad talem cognitionem, specificaretque eandem.

RESPONDETUR. Diceret aptitudinem, quam aptitudinem in sensu reali seu materiali non dicat etiam rationalitas. Nego, quam dicat Conceptus: Jam autem ad Distinctionem virtuales physicam est necesse, ut quod convenit uni ex identificatis, ne in sensu quidem reali, conveniat alteri.

Neque valet, si dicas. Id dicit aptitudinem ad cognosci, quod postea cognoscitur, at cognoscitur animalitas sola; Non inquam valet, si id dicas. Quia id quidem dicit aptitudinem, quod cognoscitur: Sed nego, quod dicat aptitudinem, quæ in sensu reali non competat etiam alteri formalitati. Deinde hæc aptitudo independentè à nostris conceptibus nihil aliud est, nisi ipsamet Entitas, cum ergo in ipsa Entitate non probes multipliciter; Nec in aptitudine probabis. Denique hæc ipsa aptitudo est quidem physica, sed non ad aliquid physicum, sed

R. P.
J. H. MŁOD
ZIANOWSKI
Tom I. K. Z.
D. VI
S